

# INNOCENTII III

## ROMANI PONTIFICIS

### OPERUM PARS ALTERA.

#### SERMONES, OPUSCULA.

#### I

#### SERMONES.

Ex editione Coloniensi, principe, anni 1575. Nostræ recensione accedunt alii duodecim Pontificis sermones, quos ex codicibus Vaticanis evulgavit bonæ memoriæ card' nalis Angelo Maii (*Spicil. Rom.* t. VI, p. 475. Romæ 1842, in-8°). En eruditissimi viri verba quibus ad suam editionem præfatus est: *Codex Vat. 700, membraneus, littera minuta sed pulchra, paulo post obitum Innocentii scriptus, continet ejus sermones, præter prologum, LXXIX, quorum LXVIII tantummodo et pars alterius in editionibus tam Coloniensi anni 1575, quam Veneta anni 1578, apparent, reliqui adhuc latebant inediti; neque hi sunt separatim scripti, vel in calce additi, ne quis eos forte alienos existimet, sed editis intermixti. Sunt enim inediti in codicis serie IV, V, VII, XXVIII, XXXVI (XLIV partim) XLVII, LIV, LX, LXIV, LXXII. Ex his duos in Lucensi etiam gemino codice se vidisse ait Mansius in additamentis ad Fabricii Latinam Bibliothecam. Constat igitur Coloniensem editorem nonnisi imperfectam habuisse sermonum Innocentii collectionem, Venetum autem a Coloniensi eos mutuatum. Sic enim epistolurum quoque Innocentii paulatim crevit numerus in impressis libris jam inde ab editione Sireti usque ad illam duumvirorum Brequignii atque Dutheilii. Quæ cum ita se haberent, nolui prorsus inventam rem omittere, tum ipsius Innocentii causa, tum quia volumini huic, pontificis monumentis abundante, sermones hi congruebant. Neque tamen eos verbis meis commendabo, quia tanti viri scripta nequaquam laudibus indigent; atque id monebo tantummodo scriptos esse post additum pontificatum, et in prologo et in gestis Innocentii cap. 2, disserte affirmatur. Denique in Ottoboniano Vat. codice 432, sæculi item XIII, ejusdem Innocentii sermones XXXI legebam, quorum postremus tantummodo (qui nobis sit III) ad claustrales recitatus typorum lucem adhuc expectabat (6).*

#### PROLOGUS.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio ARNOLPHO abbati ordinis Cisterciensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Prophetica docet auctoritas, quod beati sunt illi qui seminant super aquas (*Isa. xxxii*). « Semen enim est verbum Dei (*Luc. viii*), » et « aquæ multæ sunt populi multi (*Apoc. xix*). » Econtra: « Maledictus est ille qui frumentum abscondit in populo et suffodit in terra talentum (*Prov. xi*); » quia superogare debet aliquid stabularius, qui duos accepit a Samaritano denarios (*Luc. x*); et superlucrari debet aliquid servus, cui dominus duo talenta commisit (*Matth. xv*). Nam a tunica hyacinthina dependebant aurea tintinnabula, ne pontifex ingrediens absque sonitu sanctuarium moreretur (*Exod. xxviii*). Inter cætera siquidem, quæ ad pastorale spectant officium, sanctæ prædicationis virtus excellit, juxta quod docet egregius prædicator: « Non misit me Dominus, inquit, baptizare, sed prædicare (*I Cor. i*), secundum illud: « Prædica verbum, insta opportune, importune, opus fac evangelistæ (*II Tim. iv*). » Itemque: « Quam speciosi pedes super montes evangelizantium bona! » (*Rom. x*) « Clama, ne cesses, exalta quasi tuba vocem

(6) Innocentii III sermones duos ut ineditos evulgavit D. Luigi Tosti in *Storia della badia di Monte Casino* (Napoli 1842), t. II, p. 293. Idem sunt cum serm. V et VII infra, quos habemus ex editione card. Maii. EDIT. PATR.